De eo, qui bonis paternis abſtinuit.

7. Iidem AA. Demetrio.

NEmo ob id quod bonis paternis ſe abſtinuit [1], infamis eſt. P. P. 5. Id. Januar. ANTONINO A. & GETA II. utriſque CONSS. 206.

De furto, & de eo, apud quem res furtiva inventa eſt.

8. Iidem AA. Ulpiæ.

SI furti condemnata es, citra verbera quoque [2] fuſtium, infamiæ damnum ſubiiſti. Quod ſi res furtiva, quam alter ſurripuit, apud te ignorantem comperta eſt: non læſit exiſtimationem tuam durior ſententia. P. P. 10. Kal. Mart. ANTONINO A. & GETA utriſque II. CONSS. 206.

De publicis negotiis defenſis.

9. Iidem AA. Læto.

NEminem ſequitur infamia ob [3] defenſa publica negotia patriæ ſuæ. P. P. 12. Kal. Mart. ANTONINO A. & GETA utriſque III. CONSS. 209.

De injuriis.

10. Iidem AA. Severo.

INjuriarum ex [4] perſona quoque ſervi damnatus, infamia notatur. P. P. 4. Kal. Aug. *iiſdem* CONSS. 209.

De ceſſione & venditione bonorum.

11. Imp. ALEX. A. Herennio.

[DEbitores] qui bonis ceſſerint [5] licet ex ea cauſa bona eorum venierint, infames non fiunt. PP. 10. Kalend. Majas, MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De expilata hereditate.

12. Idem A. Donato.

SI te expilaſſe [6] hereditatem, ſententia Præſidis conſtiterit, non ex eo, quod non & alia pœna tibi irrogata eſt, furti improbioris [7] infamiam evitaſti. PP. Kalend. Jul. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

De his, quæ pater in teſtamento, filios increpans ſcripſit.

13. Idem A. Juventio.

EA quæ pater teſtamento ſuo filios increpans [8] ſcripſit, infames quidem filios jure non faciunt, ſed apud bonos & graves opinionem ejus, qui patri diſplicuit, onerant. 13. Kal. Novemb. *ipſo* A. III. & DIONYSIO [9] CONSS. 230.

De fuſtibus. De quæſtione.

14. Imp. GORDIANUS A. Jovino.

NUllam [10] exiſtimationis infamiam avunculus tuus pertimeſcat ictibus fuſtium ſubjectus [ob [11] crimen quæſtione habita,] ſi ſententia non præceſſit, ignominiæ maculam irrogans. Dat. Kal. Sept. PIO [12] & PONTIANO CONSS. 239.

De luctu.

15. Idem A. Sulpitiæ.

DEcreto Ampliſſimi Ordinis luctu [13] fœminarum deminuto [14], triſtior [15] habitus cæteraque hoc genus inſignia mulieribus remittuntur [16]: non etiam intra tempus [17], quo his elugere maritum moris eſt, matrimonium contrahere permittitur: cum etiam, ſi nuptias alias intra hoc tempus ſecuta eſt, tam ea, quam is qui ſciens eam duxit uxorem, etiam ſi miles ſit, perpetuo Edicto labem pudoris contrahat [18]. PP. 17. Kal. Jul. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De fuſtibus caſo, & ſuper dicto ἐσυκοφάντησας.

16. Idem A. Domitiano.

FUſtibus cæſum, cui per præconem [19] ita dictum eſt, ἐσυκοφάντησας [20] [id eſt, *calumniatus es*,] ut calumniatorem videri notatum, ideoque eſſe famoſum, manifeſtum eſt. PP. 3. Kal. Aug. SABINO & VENUSTO CONSS. 241.

De interlocutione Judicis ſine cauſæ cognitione.

17. Idem A. ad Magnum.

VErbum precibus inſertum potius verecundiam onerare, quam ullam exiſtimationis maculam videtur aſpergere. Etenim cum non [21] cauſa cognita dictum eſt ἐσυκοφάντησας [22], ſed ad poſtulatum patroni, interlocutione Judicis reſponſum ſit: nequaquam hoc infamiam irrogat. PP. 8. Kal. Octob. ATTICO & PRÆTEXTATO CONSS. 243.

De injuriis, de pacto, tranſactione, jurejurando.

18. Impp. VALERIANUS & GALLIENUS AA. Antiocho.

NOn [23] damnatos quidem duntaxat injuriæ, ſed pactos [24] quoque Perpetuum Edictum infamat. Verum *pactos* eos demum, qui ullos adverſariis nummos pro mala conſcientia ex tranſactione numeraſſent, in hac cauſa placuit intelligi. Cæterum ſimplex [25] ejus [rei] gratia integram pacti exiſtimationem illibatamque conſervat. Quod ſi jurejurando [26] deciſa contentio ſit: nemo dubitaverit, quin religionem abſolutio judicantis ſequatur. PP. 14. Kal. Jan. SECULARE II. & DONATO CONSS. 261.

De interlocutione Præſidis.

19. Impp. CARINUS & NUMERIAN. AA. Ariſtocrati.

INterlocutio [27] Præſidis, quæ indicta [28] eſt, infamem eum, de quo quæris, feciſſe non videtur, cum non ſpecialiter ob injuriam, vel admiſſam vim condemnatus ſit, ſed ita Præſidis verbis gravatus & admonitus, *ut ad melioris vitæ frugem ſe reformet*. PP. 17. Kal. Febr. CARINO II. & NUMERIANO AA. CONSS. 284.

De fœneratoribus.

20. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Fortunato.

IMprobum [29] fœnus [30] exercentibus, & uſuras [31] uſurarum illicite exigentibus infamiæ [32] macula irroganda [33] eſt. S. 17. Kalend. Mart. ipſis AA. CONSS. 287.

De minore, qui artem ludicram exercuit.

21. Iidem AA. & CC. Statio.

SI fratres tui minores [34] dumtaxat ætate [in] ludicræ [35] artis oſtentatione ſpectaculum ſui populo præbuerunt, inviolatam exiſtimationem obtinent. Dat. 5. Kal. Septembr. *ipſis* AA. CONSS. 287.

Pro ſocio.

22. Iidem AA. & CC. Domitiano.

FIdem rumpens [36] ſocietatis, cum infamiæ periculo, ſuo nomine pro ſocio conventus, ad faciendum ſatis urgetur. Dat. 6. Id. Decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 287.

TIT. XIII.

DE PROCURATORIBUS [37].

Cautio de rato.

1. Divus ANTONINUS PIUS A. Severo.

CAutio ratihabitionis [38] tunc [39] exigitur a procuratore, quoties [40] incertum [41] eſt, an ei negotium mandatum ſit. PP. 4. Id. Octobr. GALLICANO & VENUSTO CONSS. 151.

De cauſa appellationis pecuniariæ.

2. Divi FRATRES Sextiliæ.

1 Abſtinere a bonis paternis infamiam abſtinenti non infert. 2 Et furti damnatus, *l.* 63. *ff. de furtis*, & *l.* 1. *verſ. qui furti. ff. hoc tit.* & fuſtigatus ſit infamis. vid. *l.* 16. *J. h. t.* 3 Ob non defenſa. *Hal.* & male, Senſus aperte colligi poteſt ex *l.* 4. *infr. de delatorib. l.* 2. *in pr. ff. de jure fiſci.* 4 Senſus eſt, Condemnatum injuriæ factæ etiam vili perſonæ, notari. adde *l.* 5. *ſupr. h. t.* 5 Bonorum ceſſio, eorumque venditio infamiam non infert. *l.* 2. *l. ult. J. qui bonis cedere*: Id jure quidem verum eſt: nihilominus tamen bonorum ceſſio ſpecies eſt quædam ignominiæ. *Nov.* 3. 4. 135. *in princ.* adde Hotom. 24. *Illuſtr. in fin.* præſertim ſi fiat ceſſio bonis decoctis. Hotom. *ibid.* Cujac. *ad Novell.* 135. 6 Expilatæ hereditatis damnatus ſit infamis. 7 Furtum ſimplex eſt quid improbum: expilata hereditas, quid improbius. *l.* 1. §. 1. *ff. de effractoribus.* Baldus adjicit, rapinam eſſe improbiſſimum quid. vid. Cujac. 6. *obſ.* 2.
8 Non ideo infames liberi, quod a patre ſuo in teſtamento ſunt notati. *l.* 3. *in pr. ff. de lib. & poſthum. l.* 29. §. 1. *ff. de probat.* vel exheredati: licet exheredatio ſpecies ſit quædam injuriæ & notæ. *l.* 8. *in pr. ff. de inoff. teſtam. l.* 132. *ff. de verb. oblig. l.* 10. *infr. de teſt. milit.* vide Cujac. *ad Novell.* 18. *fol.* 367. *in fin.* 9 Dione. 10 *Sumpta ex Codice Gregoriano tit. de poſtul.* 11 *Fuſtigatio* non infamat, ſed cauſa. *l.* 22. *ff. h. t.* niſi publice facta ſit. *l.* 16. *infr. h. t.* & inter cædendum præco ita dixerit, *Ne ſis adeo vilis, ut ſine juſta cauſa accuſationem inſtituas.* 12 Ulpio. 13 *l.* 1. *verſ. qui eam. l.* 8. *in fin. l.* 11. *ff. h. t.* 14 De luctu (ut Philoſophus) ita loquitur Seneca *epiſt.* 64. Nec ſicci ſint oculi amiſſo amico, nec fluant: Lachrymandum eſt, non plorandum. Duram tibi videor legem ponere, cum Poetarum Græcorum maximus jus flendi dederit in unum duntaxat diem: cum dixerit, etiam Niobem de cibo cogitaſſe. Per lachrymas argumenta deſiderii quærimus, & dolorem non ſequimur, ſed oſtendimus. adde Paulum 1. *ad Theſſ.* 3. *verſ.* 4. 15 Abſtinere a conviviis, ornamentis & alba veſte. Paul. 1. *ſent.* 21. §. 3. hæc enim lugubria. Dixi *ad l.* 8. *ff. h. t.* 16 Olim conſiſtebat luctus mulierum etiam in habitu. 17 Tempus luctui mulieribus præſtitutum olim erant menſes X. nam & hoc fuit legitimum pariendi tempus. Hodie præſtituti ſunt menſes XII. non ob confuſionem modo ſanguinis, ſed ob reverentiam mariti: quandoquidem etiamſi intra annum peperit, annum luctus peragere debet, niſi hoc a Principe vel Senatu impetraverit, ut ſibi intra legitimum tempus nubere liceret. Quid ſi maritus hoſtis ſit patriæ? quid ſi non mortuus, ab ea tamen divertit? Cum primum peperit, poteſt nubere: *l.* 11. §. 1. *ff. h. t.* 4. Harm. 6. ubi tract. de adulterio. Poſt partum mulier ἐν τῷ πένθει alii non poteſt nubere: ἐν τῷ πενθίμῳ poteſt: πένθος eſt virorum luctu dignorum; πένθιμος, indignorum. 4. Harm. 6. *cap.* περὶ μοιχείας. *Nov.* 22. *c.* 40. vid. Cujac. *c.* 20. *de præſcr.* Eadem diſtinctione idem utitur 6. *obſ.* 32. adde 21. *Eclog.* 2. *c.* 5. & *ſeq.* 18 Niſi infamiam Princeps remiſerit. vid. *l.* 4. *in pr. J. ad SC. Tertull.* Sunt & aliæ pœnæ nubentis intra tempus luctus. Nihil capere poteſt ex bonis prioris mariti: nihil ex donatione propter nuptias. *l.* 2. *infr. de ſec. nupt.* nihil ab extraneo poteſt capere: nullo titulo poteſt in ſecundum maritum ultra tertiam bonorum transferre, non exiſtentibus liberis. Exiſtentibus non poteſt ultra virilem, *l.* 6. *J. de ſecund. nupt.* non ſuccedit cognatis, niſi uſque ad tertium gradum. *l.* 1. *in fin. J. de ſecund. nupt.* Sunt & aliæ pœnæ, de quibus vid. Cujac. *ad Nov.* 22. 19 Mos antiquus & a Platone probatus *in leg. lib.* 11 vid. *l.* 13. *in fin. ff. de jurejur.* Ad rem redeo: quod hic dicitur, *Per Præconem*, idem eſt quod præconis voce. Lamprid. *in Alexandro*, Turium necari juſſit, præcone dicente, *Fumo punitur, qui fumum vendidit.* Spartianus *in Severo*: Fuſtibus eum ſub elogio præconis occidit, *Legatum pop. Rom. homo plebeius temere amplecti noli.* Alia quædam repetita ex antiquitatis flore, vid. apud Cujac. 8. *obſ.* 7. ex Zonara *in Valentiniano*, ex Xiphilino *in Jul. & Severo.* ad hæc ex more Vaſconum: ſed & alia ejuſmodi refert, 13. *obſ.* 3. *in fin.* ex Ambroſii *ſerm.* 90. Petronio: Suida *in Piſiſtrato*: Joſepho *in Machabæis*: Arriano 3. ἀναβάσεως, Niceta. 20 *l.* 17. *infr. h. t.* Συκοφαντεῖς ita legendum monet Cujac. 13. *obſ.* 3. 21 *l.* 19. *J. h. t. l.* 13. §. 6. *ff. h. t.* 22 Συκοφαντεῖς, *Hal.* Cujac. 13. *obſ.* 3. Forcatulus *in Sphæra legali, fol.* 17. hinc ex *l.* 16. *ſupr. h. t. l.* 13. *in fin. ff. de jurejur. l.* 9. §. 8. *ff. de pœn.* colligit Romæ Græcis verbis permultas ſententias latas fuiſſe. Cæterum qui jocos hic, & riſus audire volet, legat Accurſium hanc particulam explicantem. 23 Injuriæ damnatus, aut injuriæ ſibi illatæ nomine pecunia data tranſigens ſit infamis. Eam enim ob cauſam pecuniam dare videtur, quod ſibi conſcius ſit: ſecus fuerit, ſi ſimpliciter & abſolute ſine pecunia pactus fuero, & injuria adfectus in me injuriarum non egerit: ex hujuſmodi namque pacto remiſſa mihi injuria, infamis non ero, 21. *Synopſ.* 2. *ex tit.* 3. *c.* 16. & 6. Harm. 15. §. 8. Quid, damnatus injuriæ, an ſemper infamis eſt? non ſit infamis, ſi modica ſit injuria. vid. Gail. 2. *obſ.* 302. 24 Qui paciſcitur, pretio accepto ſcil. *J. h. t.* de injuria ſibi illata, ſit infamis. *l.* 6. §. 3. *ff. h. t.* 1. Harm. 10. Tranſigendi verbo utitur idem Harm. 6. *tit.* 15. 25 Gratis poſſum injuria liberari, at non pretio dato. 26 *l.* 6. §. 4. *ff. h. t.* 27 *l.* 17. *ſupr. h. t. l.* 13. §. 6. *ff. h. t.* puta generalis. 28 Dicta eſt. *Hal.* 29 Vid. quædam ad hunc locum apud Cujac. 9. *obſ.* 28. 30 21. *Eclog.* 1. *c.* 18. 3. Harm. 7. ubi tractat de uſura eccleſiaſtica, & 6. *tit.* 15. §. 6. 31 Uſuras uſurarum exigere non licet. vid. *l.* 28. *infr. de uſur.* 32 Negat Accurſius hic, & Molinæus *n.* 46. *de uſur.* eam infamiam ipſo jure fœneratori inuri, niſi uſuræ ſimul cum principali legitimum uſurarum modum excedant (licet contra ſentiant multi hic, & Geminianus *conſ.* 77. Covarr. 3. *reſolut.* 3. Clarus 5. *ſent.* 5. §. *uſura.*) Apertius *ibid. n.* 614. fatetur ipſo jure fœnus improbum infamare. Quæri poteſt, An uſurarius criminaliter ſit puniendus? Clarus 5. §. *uſuræ.* 20. *verſic. ſed quæro*, puniri extra ordinem cenſet: ſed Molinæus *d. l. n.* 156. rejecta Baldi opinione, amplectitur Bulgari, Cornei, Decii, Angeli, Socini opinionem, & criminaliter puniri, & torqueri poſſe refert, licet id jure non ſit cautum: & ita ſe in Senatu Pariſienſi vidiſſe ait. Idem refert Paponius, 2. *Arreſt.* 7. *num.* 24. Movetur *l.* 9. §. 5. *in fin. ff. de publican.* ubi qui exigunt aliquid illicitum, extra ordinem puniuntur.
33 Quid, dominium uſurarum perceptarum num tranſit in uſurarium? Negant Theologi & Canoniſtæ, *Summa Sylveſtris, in* §. *uſura, quæſt.* 6. Covarr. 3. *reſolut.* 3. Clarus *d. l.* Poteſtne uſurarius teſtari, vel mortis cauſa donare? Negat Clarus *d. l.* niſi præſtita cautione de uſuris reſtituendis. Oldendorp. etiam *c.* 4. *de teſtib. n.* 9. 11. & *c.* 66. *de except. num.* 10. 11. 12. 13. negat teſtem eſſe poſſe. *arg. l.* 3. §. 5. *l.* 21. §. 2. *ff. de teſt.* 34 Aliud, ſi majores. 35 *l.* 2. *in fin. ff. h. t.* adde 6. Harm. 15. 36 Condemnatus actione pro ſocio ſit infamis. *l.* 1. *verſ. qui pro ſocio. ff. h. t.* §. 2. *Inſt. de pœna temere litig.* 6. Harm. 15. *in fin.* 21. *Syn. Baſil.* 1. *c.* 20.
37 *L.* 3. *D.* 3. & 2. *C. Th.* 12. Paul. 1. *ſent.* 3. 8. *Syn. Baſil.* 2. *ex lib.* 15. *t.* 4. 1. *extra.* 38. 1. *Sexto* 10. & 1. *Clem.* 10. Lucius 5. *Placit.* 2. Papon. 6. *Arreſt.* 4. & 5. & *l.* 2. *Notar.* 2. *c. des procureurs.* 38 Rati cautione procurator ſit legitimus.
39 Negatio rem dubiam facit. vid. tamen Socin. *regul.* 275. 40 *l.* 39. §. 1. *ff. h. t. l.* 2. *J. de conſortib. ejuſd. lit.* §. 3. *Inſt. de ſatiſd.* Alios caſus, vid. apud Socin. *reg.* 318.
41 Ergo a contrario, ſi certum fuerit, de eo non cavebit. vid. Socin. *reg.* 318.

Cum

CUm rem pecuniariam eſſe dicas, potes per [1] maritum tuum ſolemnibus impletis, appellationi adverſariæ tuæ reſpondere: cum appellationes pecuniariæ [2] etiam per [3] procuratores exerceri ab utraque parte litigantium poſſint. Accepta 8. Kal. Aug. ipſis II. & III. AA. CONSS. 163.

De fideicommiſſo.

3. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Pomponio.

EUm, qui res agit heredum, a quibus tibi deberi fideicommiſſum dicis, evoca [4] ad Prætorem [5] virum clariſſimum: qui aut tibi reſpondere [6] cogetur, aut ab [7] adminiſtratione negotiorum ſecundum formam juriſdictionis prohibebitur. † Deliberabit [8] autem Prætor, ſi non defendantur heredes, an mittere te in poſſeſſionem [9] debeat, ſecuturus juriſdictionem, quæ exerceri adverſus [10] indefenſos ſolet. PP. 10. Kal. Septemb. CHILONE & LIBONE CONSS. 205.

De abſente. De mulieribus.

4. Iidem AA. Saturnino.

QUia abſente te judicatum dicis: æquum eſt, tibi reſtitui [11] cauſæ defenſionem. † Nec oberit tibi, quod uxor [12] tua interfuit judicio: aut etiam acquievit ſententiæ: cum aliena [13] negotia per mulieres non aliter agi poſſint, niſi [14] in rem ſuam, & proprium lucrum mandatæ ſint eis actiones. PP. Prid. Non. Jan. APRO & MAXIMO CONSS. 208.

De reconventione.

5. Imp. ANTONINUS A. Pancratiæ.

ACtionem ei, qui abſentis nomine agere vult, ſi [15] non eum defendat, denegari oportere, jam Edicto Perpetuo expreſſum eſt. 4. Kal. Mart. DUOB. & ASPRIS CONSS. 213.

De reo criminis.

6. Imp. ALEXAND. A. Martiano.

REum [16] criminis conſtitutum, defenſionem cauſæ ſuſcipere non [17] poſſe, antequam [18] purget innocentiam ſuam, incognitum non eſt. 6. Kal. Mart. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De milite.

7. Idem A. Macrino.

MIlitem [19] nec [20] pro patre, vel matre, vel etiam uxore, nec ex ſacro reſcripto, procuratorio nomine experiri oportet: cum neque defenſionem alienam ſuſcipere, vel redimere negotia, vel quaſi ſuffragatorem accedere, utilitate publica permittatur. PP. 8. Id. Mart. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

An procurator procuratorem facere poſſit.

8. Idem A. Manſueto.

QUod quis ſibi debitum exigere tibi mandavit, ante [21] litis conteſtationem, tu alii [22] petendum mandare non potes. PP. 8. Kal. Septembr. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De militibus.

9. Idem A. Aufidio.

QUi ſtipendia merentur, ſuis negotiis ſupereſſe, inoffenſa diſciplina [23], poſſunt. Nec poteſt dici eum, qui honeſta & verecunda præcedente cauſa mandatas [24] ſibi actiones exercuerit, alieno negotio fungi: cum, licet contentio ex perſona alterius bona fide ſumatur, hunc tamen rem ſuam gerere non ambigatur. Quod militibus meis interdici non modo abſurdum, verum etiam iniquum eſt. *Sine die & conſule.*

De finibus mandati. De fraude, vel dolo.

10. Idem A. Caſtiæ.

SI procurator ad [25] unam [26] ſpeciem conſtitutus, officium mandati egreſſus [27] eſt, id, quod geſſit, nullum domino præjudicium facere potuit. † Quod ſi plenam [28] poteſtatem agendi habuit, rem judicatam reſcindi non oportet [29]: cum ſi quid fraude, vel dolo egerit, convenire eum more judiciorum non prohibearis [30]. PP. 3. Kalend. Mart. ALBINO [31] & MAXIMO CONSS. 228.

De pupillis, adultis, & eorum tutoribus, vel curatoribus.

11. Idem A. Sebaſtiano.

NEque tutores, neque curatores ex ſua perſona in rem pupilli, vel adoleſcentis procuratorem facere poſſunt, ſed [32] actorem [33] conſtituere debent. † Pupillus autem, vel pupilla, adultus, vel adulta tam ad agendum quam ad defendendum, tutore ſeu curatore interveniente, procuratorem ordinare poſſunt. Ipſi etiam tutores & curatores poſt [34] litis conteſtationem a ſe factam, ad exemplum [35] procuratorum, qui litem conteſtati ſunt, dare procuratores non prohibentur. PP. Prid. Id. Maji, ALEX. A. III. & DIONE CONSS. 230.

Qui ſine mandato admittuntur. De ætate.

12. Idem A. Frontoni.

EXigendi a filio tuo [36] mandati, qui ſe defenſioni tuæ offerebat, duplici ratione neceſſitas non fuit; aut quod defendere [37] quis, ſive libertus, ſive extraneus ſit, ſine mandato poteſt, ſatisdatione [38] tamen pro defenſione præſtita, & alia proculdubio obſervatione ſubjecta: aut quod filius [39] etiamſi ultro actionem patris nomine dirigat, mandatum probare non cogitur. † Sane, quod nec [40] dum legitimam [41] ætatem idem filius tuus compleverit, ob hoc quidem depellere a procurationis officio eum judex non injuſte potuit: ſed multo juſtius [42] fuit, hujuſmodi [43] defenſorem audire, quam te abſentem quaſi contumacem & indefenſum gravi condemnatione afficere. 5. Kal. Octobr. AGRICOLA & CLEMENTINO CONSS. 231.

De præſcriptione militiæ.

13. Imp. GORDIANUS A. Luciano militi.

ITa demum ſuper lite perſequenda, quam tibi mater mandavit [44], actionem intentare potes, ſi, cum primum litem conteſtareris, non eſt tibi eo nomine oppoſita præſcriptio [45] militiæ [46]: quod nec cum [47] appellatio agitur, tibi objici poteſt. Nam ſi integra res eſt, ratio Perpetui Edicti [48] acceptam tibi non permittit alieno nomine actionem intendere. 3. Idib. Jan. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De minore vigintiquinque annis.

14. Idem A. Sabiniano.

NOn eo minus ſententia adverſus te lata, juris ratione ſubſiſtit, quod adverſaria tua minor [49] vigintiquinque annis conſtituta, cauſam ſuam marito [50] ſine curatore agendam mandavit. Minoribus [51] enim [52] ætas in damnis ſubvenire: non in rebus proſpere geſtis obeſſe conſuevit. PP. 3. Non. Octobr. GORDIANO A. II. & POMPEIANO CC. CONSS. 242.

De redemptione litis.

15. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIM. AA. & CC. Cornificio.

LItem [53] te redemiſſe [54] contra bonos mores precibus manifeſte profeſſus es: cum procurationem quidem ſuſcipere (quod officium gratuitum [55] eſſe debet) non ſit res illicita: hujuſmodi autem officia non ſine reprehenſione ſuſcipiuntur. S. 3. Non. April. CC. CONSS. 294.

De venditione.

16. Iidem AA. & CC. Paconiæ.

PRocuratorem [56], vel actorem prædii [57], ſi non ſpecialiter diſtrahendi mandatum accepit, jus rerum dominii vendendi non habere, certum ac manifeſtum eſt. Unde, ſi non ex voluntate domini vendentibus his fundum comparaſti, pervides improbum tuum deſiderium eſſe, dominium ex hujuſmodi emptione tibi concedi deſiderantis. S. Non. April. *Byzantii*, CC. CONSS. 294.

1 Maritus poteſt eſſe uxoris procurator ad litem; adde *l.* 2. *J. qui dare tutores.* 2 *d.* §. 3. *l. unic. J. de ſatisdando. l.* 21. *ff. ratam rem.* At in criminalibus non datur procurator, ſed defenſor. *l.* 33. §. 2. *ff. h. t.* Paul. 5. *ſent.* 16. §. 11. 3 Hinc colligunt, Cauſam initium poſſe ſumere a citatione adminiſtratoris, tutoris, curatoris, & ſimilium. adde *l.* 25. §. 1. *J. de epiſc. & cleric.* vid. *l.* 1. §. 2. *ff. de admin. & peric. tut. l.* 3. *ff. de alim. vel cibar. leg.* 4 *l.* 3. *J. quorum appellationes.* 5 Porro quando ex contumacia procuratoris teneatur dominus, vide Socinum *reg.* 394. Felinum *ad c.* 1. *extr. ut lite non conteſt.* Michaelem Vulcurnum *ad l. ſi finita.* §. *Julianus. ff. de damno infect. num.* 67. Mod. 6 Procurator cogitur reſpondere. 7 Suſpectus adminiſtrator, vel tutor ob contumaciam poteſt removeri. 8 Miſſio ex primo decreto, non ſit ſine cauſæ cognitione. 9 Domini ſcilicet. Ob contumaciam procuratoris ſit miſſio contra dominum, & tamen hinc colligitur, Procuratoris contumaciam regulariter domino non nocere, vid. Socin. *reg.* 321. 10 Reo indefenſo, actor in ejus bonorum poſſeſſionem mittitur. *l.* 2. *in fin. J. ubi in rem actio. l.* 8. *in fin. J. quomodo & quando judex, l.* 2. *ff. quibus ex cauſis in poſſ.* 11 Non legitime defenſus totam ad cauſam reſtituitur. 12 Abſens non legitime defenditur per uxorem. 13 Nota regulam. 14 Adde *l.* 55. *ff. h. t.* Mulier in rem ſuam poteſt eſſe procuratrix ex ceſſione mariti. 15 Non admittitur ad agendum abſentis nomine, qui eum defendere recuſat. *l.* 15. *in fin. l.* 43. §. 4. *ff. h. t.* Datus ad agendum, defendere tenetur: at non e contra: Datus ad defendendum, non cogitur agere. *cap. conſtitutis.* 12. *extr. de procur.* 16 Accuſatus de crimine capitali, non poteſt eſſe alterius procurator. Imo poteſt *l.* 21. *ff. de accuſat.* Solve: poteſt, ſi ejus crimen ſuſpenſum eſt. 17 *Synopſ. Baſil.* 8. περὶ διεκδικητῶν, *c.* 79. 18 Vid. quæ notavi *ad l.* 6. §. 4. *J. de his, qui ad eccl.* 19 Nemo militantium ſiat ſuſceptor defenſorve cauſarum: nec ad cognitionem alieni jurgii ſuffragator accedat. *l.* 6. *C. Th.* ubi interpres: Militantes non permittuntur legibus lites ſuſcipere alienas, nec Procuratores fieri poſſunt. *l.* 6. *C. Theod. h. t.* Goth. *Hic & l.* 9. *J. h. t.* niſi in rem ſuam, aut nomine cohortis. *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* Anſ. 20 Filius idemque miles, patris procurator eſſe non poteſt, etiam ex reſcripto principali. *l.* 9. *J. h. t. l.* 8. §. 2. *D. h. t.* §. *ult. Inſt. de except.* 21 Ante litem conteſtatam procurator ad litem alium ſuo nomine non poteſt ſubſtituere. *l.* 11. *l.* 23. *J. h. t. l.* 8. §. 3. *D. mand. l.* 4. *in fin. D. de appell. & relat.* niſi ſpeciale ſubſtituendi ante litem mandatum habeat. v. Wurmſ. 1. *pract.* 5. *obſ.* 14. Aliud in procuratore ad negotia. *d.* §. 3. & in rem ſuam. *l.* 33. *J. de donat.* Wurmſ. *d. loc. obſ.* 1. & 19. Verum *d. l.* 33. loquitur de procuratore in rem ſuam. 22 Procurator regulariter alium procuratorem ſuo loco ſubſtituere non poteſt. vid. tamen Socinum *reg.* 319. 23 Sine offenſa diſciplinæ: *Hal.* militaris ſcil. 24 Qui mandatas actiones exercet, alieno negotio non fungitur. *l.* 13. *J. h. t. l.* 8. §. 2. *l.* 55. *D. h. t.* 25 Huic mox opponitur procurator plenam poteſtatem agendi habens. 26 Poteſt enim ad unam tantum conſtitui. *l.* 1. §. 1. *D. h. t.* 27 Procurator fines mandati egreſſus domino non præjudicat. 28 Vel liberam adminiſtrationem. *l.* 7. §. 1. *in fin. D. de peculio*: vel ita ſi datus eſt, ut id omne agere poſſit, quod præſens dominus faceret. *l.* 1. *D. de off. procur. Cæſar. l.* 60. *in fin. D. mandati.* 29 In hujuſmodi tamen libero mandato non includitur poteſtas donandi. *l.* 7. *J. de don.* & delegandi. *l.* 6. §. 2. *D. de cond. indeb. l.* 2. *D. de his quæ in fraud. credit.* Paponius 2. *Not.* 2. *c. des procureurs, fol.* 109. *ad* 118. vigintiquatuor caſus enumerat, quos negat cenſeri permiſſos procuratori cum libera. 30 Quid ſi procurator non ſit ſolvendo? non dabitur actio interim, niſi is cum procuratore colluſerit. *l.* 3. §. 1. *ff. de eo, per quem, l.* 7. §. 9. *ff. de dolo*: aut ſi quid procuratori ſubtraxerit. *l.* 12. §. 2. *ff. de furtis.* Hinc conſtat nullo jure, procuratore non exiſtente ſolvendo, dominum reſtitui adverſus eum, qui bona fide cum procuratore contraxit, quod tamen non obſervari refert Gailius 22. *obſ.* 45.
31 Balbino. 32 Actoris & Procuratoris differentia. 33 §. *ult. Inſtit. de curatorib. l.* 13. *ff. de tutelis, l.* 9. *ff. ratam rem.* 34 Dixi *ad l.* 8. *J. h. t.* Cur ita? quia tunc domini litis facti ſunt. 35 *l.* 23. *in fin. J. h. t.* 36 Amplia hoc etiam procedere, & ſervari in uſu, in valde amico, Jaſon *ad l. Titia. num.* 14. *ff. de verb. oblig.* Ægid. *deciſ.* 143. *in titul. de procur.* Fortun. Garzia *ad l.* 1. *ff. de Juſtit. & jure n.* 50. Cotta *in Memorab. in verſ. conjuncta perſona.* quod limita tamen ut in vera non ſpirituali conjunctione procedat. Felinus *ad c. edoceri. n.* 10. *de Reſcript.* Mod. 37 Poſſumus alium defendere ſine mandato. 38 Adde *Nov.* 128. *c.* 10. 39 Filius etiam ſine mandato, patris nomine ultro agere poteſt. Satisdare tamen debet, judicatum ſolvi. *l.* 35. *ff. h. t. l.* 3. §. 3. *ff. judic. ſolvi.* 40 Minor vigintiquinque annis, εἰς φροντίδα οὐ καλεῖται, in rerum alienarum curam non vocatur. 1. Harm. 12. §. 41. 41 Minor vigintiquinque annis, procurator non facile admittendus. *l.* 51. *ff. h. t.* Goth. Legitima ætas ad procedendum in publicum eſt 17. annorum. *l.* 1. §. 3. *ff. de poſtulando.* Vide Cujac. 22. *obſerv.* 16. *in fin.* in aliis 25. annorum eſt. *l. fin. J. de his qui ven. ætat. l.* 4. *J. de Tranſact.* Anſ. 42 E duobus malis minus eligendum. 43 Id eſt, minorem vigintiquinque annis. 44 *l.* 9. *J. h. t. l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* 45 Id eſt, exceptio.
46 Vide Joan. Baptiſt. Ferrettum *conſilio* 23. *num.* 8. & amplia hunc textum etiam procedere in religioſo. Matheſ. *in notab.* 98. Pariſ. *ad c. paſtoralis. n.* 52. *ext. de except.* Felin. *ad c. ad audientiam. extr. de reſcriptis.* Benedict. Capra *in regul. concluſ.* 57. Mod.
47 Id eſt, exceptio declinatoria omiſſa in cauſa principali, non poteſt opponi in cauſa appellationis. *Bald.* vid. Wurmſer. 1. *pract.* 8. *obſerv.* 10. 48 Al. *Exceptio perpetui edicti.* quæ lectio etſi nullis libris manu exaratis & paulo antiquioribus notæque melioris comprobetur, ideo tamen quibuſdam non diſplicet, quia militi agere volenti opponebatur exceptio, quam Juſtinianus dilatoriam appellat. *Inſtit. tit. de except.* §. *ult.* Mod.
49 Sententia pro minore etiam indefenſo valet. *ut hic*: ita & pro fiſco indefenſo. *Gl. l.* 3. §. *Divus.* 9. *ff. de jure fiſci.* Plateus, *l. ſi præſes.* 6. *C. quomodo & quando judex.* ita & pro Eccleſia. *Doctores hic. & d. l. ſi præſes*, Panorm. *in cauſam de judiciis*: v. Everardum, *loco a minoribus ad fiſcum* 64. 50 Minor poteſt cauſæ victoriam obtinere, etiam per procuratorem minus legitime conſtitutum, nec eo prætextu damnatus cauſam reſtitui recte poſtulat. Ex contrario, ſi procuratorem illegitimum habet, non poteſt damnari, *l.* 45. §. 2. *ff. de re judic.* 51 *Synopſ. Baſil.* 10. *ex lib.* 8. *tit.* 2. *cap.* 88. 52 Nota regulam. 53 Nemo litem alterius redimat, gratis quidem procurator fiat, qui volet, nec data pecunia actionem ſuſcipiat: ita Græci hunc locum accipiunt apud autorem *Synopſ. Baſ.* 8. *cap.* περὶ ἐντολέων 89. 54 *l.* 20. *J. mandati, l.* 53. *ff. de pact. l.* 7. *in fin. ff. mandati, l.* 5. *J. de poſtulando.* vid. Cujac. 8. *obſerv.* 31. 55 Hinc colligere poſſis, vetus procuratoris officium longe diverſum fuiſſe ab eo, quod noſtro tempore procuratores exercent: quorum oculatæ manus nihil credunt, niſi quod tenent. 56 Vid. *l.* 19. *J. h. t.* Generalis procurator niſi liberam poteſtatem habeat, res domini immobiles vendere non poteſt, *l.* 58. *l.* 63. *ff. h. t.* 57 Generalem ſcil. vide quæ not. ad *l.* 9. §. 4. *ff. de adquir. rer. dom.*

De

De invito.

17. Iidem AA. & CC. Mardonio.

INvitus [1] procurationem [2] ſuſcipere nemo cogitur [3] : nec eandem ultra, niſi provocationis [4] cauſa, extendere. Sed nec defenſionem abſentis ſubire compellitur: cum fidem ſuſceptam implere ſufficiat. PP. Non. Jun. *Philippopoli*, DIOCLET. V. & MAX. AA. CONSS. 293.

De fœminis.

18. Iidem AA. & CC. Dionyſiæ.

ALienam [5] ſuſcipere defenſionem [6], virile [7] eſt officium, & ultra ſexum muliebrem eſſe conſtat. Filio itaque tuo, ſi pupillus eſt, tutorem pete. S. 14. Kal. Februar. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

Si actor pretium in rem domini verterit.

19. Iidem AA. & CC. Firmo.

SI pretium quidem actoribus alienum fundum [8], vel ſervum citra [9] mandatum domini tibi diſtrahentibus dediſti, & neque præceſſiſſe, neque ſecuta contractum domini declaretur voluntas, in rem [10] autem ejus idem pretium proceſſiſſe, provinciæ Præſes cauſa cognita perſpexerit, hoc tibi reſtitui jubebit [11]. Prid. Idus Mart. CC. CONSS. 294.

De negotii tranſitu ad perſonam procuratoris.

20. Iidem AA. ad Verinum Præſidem Syriæ.

NIhil arbitramur intereſſe [12], utrum ab initio, an cœpta jam lite negotium ad perſonam procuratoris tranſitum fecerit. Dat. 10. Kal. Octobr. *Demeſſo* [13] CC. CONSS. *

De fœminis & de maritis.

21. Imp. CONSTANTINUS A. ad Concilium provinciæ Africæ.

MAritus citra mandatum [14] in rebus uxoris cum [15] ſolemni ſatisdatione, & alia obſervatione intercedendi liberam habeat facultatem: ne fœminæ, perſequendæ litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris [16] irreverenter irruant, & conventibus virorum, vel judiciis intereſſe [17] cogantur. † Sin autem mandatum ſuſceperit [18], licet maritus ſit [19], id ſolum [20] exequi debet, quod procuratio emiſſa præſcripſerit. Dat. 4. Id. Mart. *Adrumeti*, CONSTANTINO A. & LICINIO CÆSARE utriſque II. CONSS. 312.

De litis translatione.

22. Idem A. ad Baſſum P. Urbi.

PRocuratoribus [21] inſtitutis, & poſt conteſtatam litem dominis [22] effectis, hi, qui mandaverant, non habeant facultatem negotia perſequendi, niſi capitales [23] inimicitiæ, vel morbus [24], vel alia [25] neceſſaria cauſa interceſſerit: tunc enim etiam invitis his, transferri lis poteſt. Dat. 13. Kal. Jul. CONSTANTIN. A. & LICINIO Cæſ. V. utriſque CONSS. 319.

De jure procuratoris effecti domini litis.

23. Imp. JULIANUS A. Secundo P. P.

NUlla [26] dubitatio eſt, poſt [27] cauſam in judicio agitatam, utpote dominum [28] litis procuratorem effectum, etiam poſt exceſſum [29] ejus, qui agendam, vel defendendam litem mandaverat, poſſe inchoatam cauſam jurgiumque finire: quippe cum & procuratorem poſſe [30] eum inſtituere, veteris juris voluerint conditores. Lect. 2. Non. Febr. JULIANO A. IV. & SALLUSTIO CONSS. 363.

De exceptione procuratoria.

24. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Pancratio Præfect. Urb.

LIcet [31] in principio [32] quæſtionis perſona [33] debeat inquiri procuratoris, an ad agendum negotium, mandatum a domino litis habeat: ſi tamen falſus [34] procurator inveniatur, nec [35] dici *controverſiæ* ſolent, nec poteſt eſſe judicium [36]. Dat. 2. Kal. April. *Conſtantinop.* ANTONINO & SYAGRIO CONSS. 382.

De his, qui per ſe litigare non poſſunt.

25. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Tatiano P. P.

QUicunque Prætorianæ [37] vel Urbanæ Præfecturæ ſublime faſtigium, vel Magiſterium militare, vel conſiſtorianæ Comitivæ [38] inſignia meruerit dignitatis, vel Proconſulare jus dixerit, aut Vicarii fuerit adminiſtratione ſuffultus: ſi quod ab eo vel infertur jurgium [39], vel refertur, procuratoris perſonam in negotii ſui jura ſubſtituat. † Quod ſi quis ſanctionis hujus ſtatuta transgreſſus, judiciis ſeſe jurgaturus ingeſſerit, careat ejus litis ſorte, cujus non per procuratorem expectavit eventum: Judex nihilo minus, qui contra fecerit, noverit a ſe viginti libras auri, [item] ab Officio quoque ſuo tantundem ponderis exigendum. Dat. 18. Kal. Octobr. ARCAD. A. II. & RUFINO CONSS. 392.

In AUTHENT. ut ab illuſtr. coll. 5. tit. 26. al. 18. ſeu Novell. 71. cap. 1. §. 1.

H*Oc jus ſtabit usque ad illuſtres ſolos: cæteri enim commune jus amplectuntur.*

De cauſis pecuniariis.

26. Imppp. ARCAD. HONOR. & THEOD. AAA. Anthemio P. P.

IN [40] pecuniariis controverſiis, etſi ſpecialiter hoc præcepti, vel ſententiæ minime deſignat auctoritas, paſſim unicuique [41] (ſi [42] tamen ita maluerit) per procuratorem reſpondendi tribuimus facultatem: niſi forte quosdam, juſtiores nonnunquam ob cauſas vehementiores [43], maximi judicis vocabit auctoritas. Dat. Prid. Id. Octob. *

Ne [44] quis in duobus foris procurator ſit.

περὶ μετεντάλματος.

27. Imp. ZENO A.

COnſtitutio [45] prohibet duorum judiciorum unum [46] eundemque publicum procuratorem eſſe: ſed alios quidem eſſe in maximis judiciis glorioſiſſimorum magiſtratuum procuratores, alios vero qui eloquentiſſimis judicibus pedaneis miniſtrent in litibus: ac neque eum qui litem inchoavit procuratorem apud Diætetam, ſeu pedaneum, eundem ipſum terminare ipſam litem apud glorioſiſſimum magiſtratum, ſed nec *metentalma*, id eſt, translationem mandati fieri ab ipſo ad alium procuratorem, qui apud glorioſiſſimum magiſtratum adſideat: nulla impenſa pro permutatione procuratoris facienda in hoc metentalmate exigenda, ſed & judicatum ſolvi ſatisdationem, & de ratihabitione cautionem ita ab initio concipi, ut comprehendantur in his & expenſæ hujus metentalmatis, ut is a quo exigitur, alterutra harum ſatisdationum ſtipuletur, *Quia ſpondeo me & hunc apud Diætetam procuratorem pro judicatorum ſolutione aut ſatisdatione confirmaturum, & ſi contingat ex relatione diætetæ, aut ex appellatione data contra ipſius ſententiam transferri cauſam ad maximum [49] judicium, cui ſubeſt diæteta: etiam tum ex metentalmate futurum procuratorem in maximo judicio ſimili modo confirmaturum me ſpondeo.* Si non hæc omnia obſervata fuerint, ſi quidem circa maximum judicium lex hæc tranſilita fuerit, competenti ſcrinio quinque auri libras perſolvet pœnam. Si vero circa diætetas hæc lex prætermiſſa fuerit, is, qui litem adimplet, qui apparet eloquentiſſimo Diætetæ, unius auri libræ exigetur pœnam. Alii vero duo qui ex officio ſegregati ſunt, & attributi diætetæ ſive ex ſcholis, duarum auri librarum exigentur multam: ipſe vero procurator, a quo quid peccatum contra hanc legem fuerit, plagis caſtigetur a magiſtratu aut Diæteta, interdictus in poſterum procuratoris officio fungi in judicio.

De fidejuſſore. 1. Si moriatur, aut alias non appareat procurator.

28. Conſtitutionis argumentum ex lib. Euſtathii,

περὶ χρονικῶν διαστημάτων.

SI [50] fidejuſſor procuratoris non definierit tempus, & dixerit forte, *Ego fidejubeo pro ipſo*, & ſi mortuus fuerit, aut amplius non appareat, idque contigerit intra viginti dies, alius fidejuſſor dandus erit.

§. 1. Si moriatur aut alias non inveniatur is, qui ad litem ab aliquo datus eſt procurator, poſt viceſimum diem a judiciali decreto ſuper alterius procuratoris datione interpoſito, ſex menſium acceſſionem ſeu terminum habebit principalis reus peregre degens in remota provincia, ad alium procuratorem dandum, vel ad veniendum per ſe in judicium: ſi enim in proxima, non autem in longinqua provincia abſit, tunc judicis arbitrio terminus, ſive dilatio definietur.

1 *l.* 8. §. 1. *l.* 35. §. 2. *in fin. ff. h. t. l.* 156. *ff. de reg. jur.* 2 Id eſt, agendi poteſtatem: poteſt tamen interdum cogi defendere, *l.* 5. ℭ. *h. t.* vid. Wurmſer. 1. *pract.* 5. *obſ.* 6. 3 Niſi pauperum cauſa. vid. Mynſing. 4. *obſ.* 32. 4 *l.* 8. §. 8. *ff. mandati.* Cogiturne eam in judicio appellationis proſequi? non tenetur, ſi ad unam tantum cauſam datus eſt. vide Wurmſer. 1. *pract.* 5. *obſ.* 9. Poteſtne appellari ab executione? non poteſt ſine ſpeciali mandato, etiamſi permiſſum fuerit, appellare ab omni ſententia, vel interlocutoria, vel definitiva. vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 43. *num.* 11. 5 Nullo pacto fœminæ, aut amplius quam ſibi competit agere, aut pro aliis poſſunt intervenire perſonis, *l.* 5. *C. Theod. h. t. l.* 2. 6 Id eſt, tutelam. Itaque lex hæc fugitiva eſt. 7 Ideoque non cadit in fœminam, *l.* 2. *ff. de reg. jur.* adde *l.* 4. ℭ. *l.* 21. ℭ. *h. t.* at forte cadit ſpeciali jure *in matrem?* ne id quidem: vel ea pupillo curatorem tenetur petere. vide Bald. *hic.* 8 Servus qui res domini adminiſtrat, nec rem mobilem, nec immobilem, quæ eſt in bonis domini, alienare poteſt, citra domini voluntatem. Si vero in rem domini pretium proceſſit, emptori pretium reſtituitur. *Synopſis Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 8. *tit.* 2. *cap.* 93. 9 Hinc oritur ratio dubitandi. *l.* 16. ℭ. *h. t.* 10 Decidendi ratio. 11 Vel actione de in rem verſo, vel negotiorum actione, vel condictione ſine cauſa, vel officio judicis. 12 Quod ad dandi facultatem. 13 An *Damaſco?* an *Edeſſæ?* 14 Quando hoc procedat, & quando non, docebunt te ſcribentes hic, & *ad l. fin. de pact. convent.* Socin. Jun. *conſil.* 105. *num.* 11. *lib.* 1. Tiraquell. *poſt leges connubial. gloſſ.* 5. *n.* 212. item an locum habeat in ſponſo de futuro, Roland. a Valle *in tractatu de lucro dotis quæſt.* 12. *num.* 9. Roman. *conſilio* 417. & *in c. conſtitutus. de procurat.* Mod. 15 Imo non cogitur ſatisdare. *l. ult.* ℭ. *de pactis conventis.* Solve: Agitur hic de bonis uxoris, viro non traditis, non de dote, aut paraphernalibus. *Bart. Bald.* 16 Pudoris habenda ratio. 17 *l. ult.* ℭ. *de recept. arbitris.* 18 Incluſio unius alterius eſt excluſio. Rip. *lib.* 2. *Reſponſ. c.* 3. Mod. 19 Id eſt, quantumvis ſit conjuncta perſona. 20 *l.* 10. ℭ. *h. t.* Imo, & ultra poteſt. *l.* 56. *l.* 62. *ff. h. t.* Solve: Poteſt, ſed quod neceſſario cohæreat mandato. 21 Μετὰ προκάταρξιν ἐντολεὺς &c. Procurator poſt litem conteſtatam (perperam Leunclavius ita vertit, *Qui poſt litem conteſtatam procurator inſtitutus eſt:* neque enim hic agitur de procuratore inſtituto poſt litem conteſtatam, ſed ſimpliciter de procuratoris jure poſt litem conteſtatam) a domino litis ne removeatur, niſi capitalis inimicitia, vel morbus, vel alia neceſſaria cauſa interceſſerit. *Synopſ. Baſil.* 8. περὶ ἐντολέως, *cap.* 95. 22 Procurator lite conteſtata, litis, non ipſius rei dominus efficitur. *l.* 23. ℭ. *h. t.* 23 *l.* 8. §. 3. *l.* 14. *l.* 21. *ff. h. t.* vid. *l.* 6. §. 17. *ff. de excuſ. tut.* 24 *l.* 20. *ff. h. t.* 25 *l.* 10. *l.* 23. *ff. h. t.* adde, niſi procuratori conſentiatur, ab ipſo domino, Bart. *hic.* 26 *l.* 1. *C. Th. h. t.* 27 *l.* 11. *l.* 22. ℭ. *h. t.* 28 *d. l.* 22. 29 Id eſt, mortem, obitum. Symmachus 1. *epiſt.* Succeſſit aliud, ut obitu Marcianæ clariſſimæ fœminæ, mandatum diceretur extinctum, ſed contra venerabilis Juliani ſanctio ſtare juſſit procuratorum officia, cauſarum dominis viventibus inchoata. vide Cujac. 2. *obſerv.* 31. adde quæ notavi ad *l.* 59. *in fin. ff. de re judic. c.* 1. §. 1. *extr. hoc tit.* Sed jam obtinuit, mortuo domino ejus heredes ad cauſam reaſſumendam ſeu continuandam citandos eſſe. vide Mynſing. 6. *reſp.* 51. *num.* 20. *& ſeq.* 30 Vide *l.* 11. ℭ. *h. t.* 31 *l.* 3. *C. Theod. h. t.* interpolata. 32 Quacunque in re quærendum eſt primo de perſonis. *l.* 4. *ff. qui teſtamenta, l.* 4. *ff. de jure codicill. & Inſtit. de jure perſon. in princ.* 33 Quid enim ſi mandato careat? quid ſi mandati ſeu procurationis incapax, ſi cauſæ præſenti, aut certe a conſtituente non potuit dari? Quid ſi non cavit de rato? De exceptionibus adverſus procuratores, vide Bart. *hic:* Oldendorpium *cap.* 3. *de except.* Harum quædam ante & poſt litem conteſtatam proponi poſſunt. Ante, ut, *Non caviſti de rato, Tu miles, tu minor, tu mulier:* Poſt vero, *non habes mandatum, tu furioſus, infans, ſervus.* vid. Wurmſer. 1. *pract.* 8. *obſerv.* 9. Si quid horum fuerit, illegitimi procuratoris proceſſus efficitur nullus, vide Roland. a Valle 1. *conſ.* 71. *num.* 4. 34 *l.* 1. ℭ. *quibus res judicata non nocet:* vid. *l.* 19. ℭ. *de furtis. Falſus* dicitur, qui non habet mandatum, aut ſi habet a non idonea perſona, aut revocatum. *Bald.* Goth. Quis dicatur falſus procurator, diſputat Joan. de Anan. *conſ.* 96. *conſil.* 104. item Alexander *hic.* Mod. 35 Utcunque falſus procurator facto ipſo ſit admiſſus, jure non nocet. *Bald.* non valet lata ſententia: vid. Oldendorpium *c.* 28. *de ſent. & re judic.* 36 Judicio nullo non præcluditur via exceptioni declinatoriæ. *Bald.* 37 Hæc lex corrigitur per *Novell.* 71. *cap.* 1. 38 De comitibus vid. *l.* 1. ℭ. *de mandat. princ.* 39 Pecuniarium: aliud tamen in criminali, vid. *l.* 3. *infr. ubi ſenatores vel clariſſ.* 40 Litigare per ſe in judicio pecuniario nemo regulariter cogitur: in criminali vero, ſecus, ut *hic & c. paſtoralis* 14. *extr. de jud.* Fallit tamen in quibusdam perſonis, quæ per alium poſſunt: ut eſt magiſtratus, *l. non ſolum.* 39. *ff. de procurat.* epiſcopus, 5. *q.* 3. *can. quia epiſcopus.* 3. univerſitas, *l.* 6. *ff. quod cujusque univerſ.* illuſtris, *arg. hujus legis.* pupillus, furioſus, prodigus & ſimiles, Butr. *in c. paſtor. de jud.* excommunicatus, *c. Intelleximus.* 7. *extr. de judic.* qui cuſtodia publica detinetur, Bald. *in l. eos.* 6. §. *ſuper his.* 3. *infr. de appell. & conſult.* adde Soc. *reg.* 245. 41 Vid. *l.* 3. *ff. quibus ex cauſ. in poſſ. l.* 6. §. 3. ℭ. *de his qui ad Eccl.* 42 Hinc colligunt in citatione ſimpliciter facta alterutrum tacite intelligi, ut citatus per ſe, vel per alium compareat. 43 Negotia gravia quis per ſe, non per procuratorem tractare debet. *cap. Si pro debilitate. extr. de offic. delegat.* Anſ. 44 Hæc lex reſtituta a Cujacio 13. *obſ.* 5. 45 Contii interpretatio. Adde *l.* 9. *ff. h. t. l.* 14. ℭ. *de adſeſſorib. & domeſt. l.* 5. §. 2. *ff. de aut. tut. l.* 9. *ff. de pact.* 47 Μετένταλμα, eſt translatio negotii ſive mandati. 48 Satisdatio judicatum ſolvi, vulgaris & ſolita: non qua forma dicitur in *l.* 5. *ff. de verb. obligat.* aut *in l.* 1. *ff. de prætor. ſtipul.* ſed qua, in *l.* 4. *ff. de ſeparationibus*, quod ſit vulgaris, & frequens. 49 *Majus judicium* dicitur, cui adhæret judex pedaneus. Singulis enim judiciis certi adſcripti erant judices pedanei. Cujac. 13. *obſerv.* 5. *in fin. Novell.* 82. *cap.* 1. Ii non utebantur propria juriſdictione, nec ſententias exequebantur, ſed ad eas exequendas ſumebant ex cohortalibus, & ſcholis vel ſcriniis. vide Cujac. 12. *obſerv.* 1. *in fin.* 50 Interpretatio Contii.

TIT. XIV.

NE [1] LICEAT POTENTIORIBUS [2] PATROCINIUM [3] LITIGANTIBUS PRÆSTARE, VEL ACTIONES [4] IN SE TRANSFERRE [5].

1. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Ariſtobulo ſalutem.

DIvine admodum conſtituit D. Claudius [6] conſultiſſimus Princeps, parens noſter, ut [7] jactura cauſæ afficerentur hi qui ſibi potentiorum patrocinium [8] advocaſſent: ut, hoc propoſito metu, judiciariæ lites potius ſuo [9] marte diſcurrerent, quam potentiorum domorum opibus niterentur. † Quem [10] palam eſt in tantum provincialium quæſtionibus eſſe commotum, ut hujus ſanctionis Rectores provinciarum cuſtodes, & contemptæ hujus rei vindices fecerit: ſcilicet, ut in actores ſeu procuratores in ſubſidia negotiorum vel uſurpatos gratia, vel redemptos [11], ſevera ſententia vindicarent. Quare cum interſit in univerſum omnium, & præcipue tenuiorum, qui ſæpe importunis potentium interceſſionibus opprimuntur: inter litigatores audientiam tuam impertiri debebis. † Nec metuas, ne præjudices Clariſſimis viris: cum [12] D. Claudius hujus rei Rectorem provinciæ diſceptatorem, &, ſi res poſtularet, ultorem ſpecialiter fecerit. Dat. 4. Id. Septembr. AA. III. & II. CONSS. 287.

2. Imppp. ARCAD. HONOR. & THEOD. AAA. Joanni P.P.

SI [13] cujuscunque modi actiones [14] ad potentiorum fuerint delatæ perſonas [15], debiti creditores jactura [16] multentur. Aperta enim credentium videtur eſſe voracitas [17], qui alios actionum ſuarum redimunt exactores. Dat. 5. Id. Jul. HONOR. VII. & THEODOS. II. AA. CONSS. 407.

TIT. XV.

DE [18] HIS QUI POTENTIORUM NOMINE [19] TITULOS PRÆDIIS AFFIGUNT, VEL EORUM NOMINA IN LITEM PRÆTENDUNT [20].

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Meſſalæ P. P.

ANimadvertimus [21] plurimos injuſtarum deſperatione cauſarum, potentium [22] titulos [23], & clariſſimæ privilegia dignitatis, his a [24] quibus in jus vocantur, opponere. At ne in fraudem legum adverſariorumque terrorem his nominibus abutantur [25], & titulis: qui hujusmodi dolo ſcientes conniverint [26], afficiendi ſunt publicæ ſententiæ nota. Quod ſi nullum hac in parte conſenſum præbuerint, ut libelli aut tituli eorum nominibus, [vel] ædibus affigerentur [27] alienis, eatenus in eos qui fecerint, vindicetur, ut affecti [28] plumbo perpetuis metallorum ſuppliciis deputentur. † Quisquis igitur lite pulſatus, (cum ipſe & rei ſit poſſeſſor & juris, & titulum illatæ ſolenniter pulſationis exceperit) contradictoriis [29] libellis, aut titulis alterius nomen crediderit ingerendum: ejus poſſeſſionis [30], aut cauſæ, quam ſub hac fraude aut retinere, aut evitare tentaverit, amiſſione multetur [31]: nec repetendæ actionis, etiam [32] ſi ei probabilis negotii merita ſuffragantur, habeat facultatem. Eos ſane, qui ſe ſponte alienis litibus inſeri patiuntur, cum his neque poſſeſſio neque proprietas competat: veluti famæ ſuæ prodigos, & calumniarum [33] redemptores, notari oportebit. Dat. 15. Kalend. Decembr. *Med.* STILICHONE & AURELIANO CONSS. 400.

TIT. XVI.

UT NEMO PRIVATUS TITULOS PRÆDIIS SUIS, VEL ALIENIS IMPONAT, VEL VELA REGIA [34] SUSPENDAT.

Qui titulum Principis rei ſuæ imponit, illam perdit: & juris publici illam facit. Bald.

1. Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. Flaviano P. P.

REgiæ majeſtatis eſt, ut noſtræ tantum domus & patrimonia titulorum inſcriptione legantur. Omnes igitur intelligant, publico juri eſſe deputandum id [35], cui nomen dominicum præſcribitur. Dat. 3. Kalend. Decembr. *Ravennæ*, BASSO & PHILIPPO CONSS. 408.

Imponens titulum, vel vela regia rebus ab alio juſte, vel injuſte poſſeſſis, ſi plebeius eſt, ultimo ſupplicio punitur: ſi nobilis, deportatur.

2. Impp. THEOD. & VALENT. AA. ad Florentium P. P.

NE quis vela regia ſuſpendere, vel titulum audeat, ſine præceptione Judicis competentis, alienis rebus imponere, quas quocunque modo qualiscunque perſona poſſideat: licet non dominus, licet injuſtus poſſeſſor, vel temerarius invaſor, qui poſſidet, doceatur. † Eum autem, qui hoc facere auſus fuerit, ſi plebeius eſt, ultimo ſubdi ſupplicio: ſi Clariſſimus, vel curialis, vel miles, vel clericus, proſcribendum deportandumque, non ſolum civitate Romana, ſed etiam libertate privari cenſemus: executoresque hujus legis omnes Judices eſſe oportere. † Deponendi autem, vel frangendi [36] titulos, & conſcindendi vela, non ſolum eis, ad quorum præjudicium tale aliquid contra fas contraque leges committitur: ſed omnibus tam liberis, quam ſervis ſine metu calumniæ, vel accuſatione [37] criminis licentiam miniſtramus: decernentes, judices eorumque officia tricenis libris auri multari, ſi talem accuſationem vel [38] admittant, vel depoſitam ſcribi concedant. Dat. 15. Kal. Jul. THEOD. A. XII. & FESTO CONSS. 439.

TIT. XVII.

UT [39] NEMINI LICEAT SINE JUDICIS AUCTORITATE SIGNA [40] REBUS IMPONERE ALIENIS [41].

Inſignia impoſita rei meæ ſine judicis auctoritate licet mihi propria auctoritate removere. Salic.

1. Imp. PROBUS A. Octavio.

SÆpe reſcriptum eſt, ante ſententiam ſigna rebus quas aliquis tenebat [42], imprimi non oportere. Et ideo ea rebus, aut fructibus apud te conſtitutis illicite impoſita, poteris ipſe licite detrahere [43]: ut amotis his, cauſa, quæ ex officio tibi infertur, terminetur. Dat. 4. Kal. Jul. PROBO A. II. & LUPO CONSS. 278.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Craugaſio.

REbus, quas alius detinet [44], imprimere ſigna nemini licet, etiamſi ſuas vel obligatas ſibi eas eſſe aliquis affirmet [45].

TIT. XVIII.

NE FISCUS [46], VEL RESPUBLICA PROCURATIONEM ALICUI PATROCINII CAUSA IN LITE PRÆSTET.

De prætextu debiti.

1. Imp. GORD. A. Legitimo & aliis.

REipublicæ juribus adjuvari te ſub obtentu [47] quantitatis, quam eidem Reipublicæ debes, contra juris rationem deſideras. 3. Id. Januar. GORDIANO A. II. & POMPEJANO CONSS. 242.

De donatione partis rerum vel actionum.

2. Idem A. Tertull.

CUm allegas, partem [48] rerum vel actionum dimidiam fiſco quo magis ejus juribus protegaris, velle te donare [49]: hujusmodi litium donationem admitti temporum meorum diſciplina non patitur. Unde jus tuum ſi quod tibi competit, citra invidiam [50] fiſci mei tueri ſolemniter cura. S. 6. Non. Aug. GORDIANO A. II. & POMPEJANO CONSS. 242.

1 Titulus Synopſ. Baſilic. ita conceptus eſt περὶ τῶν προσφευγόντων εἰς προστασίαν τινῶν δυνατῶν 7. *tit.* 9. 2 Potentiores ſunt, qui opibus & gratia valent. Pindarus: χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖν κρεισσόνων. Heſiod. ἄφρων δ' ὅς καὶ ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν. vide Cujac. *hic.* cum hujusmodi hominibus litigare periculoſum eſt. Porro hinc colligitur, argumento per contrarium ducto, ceſſionem regulariter permitti. de quo vide Socin. *regula* 48. 3 De patrocinio, vide *l.* 1. ℭ. *h. t. Novell.* 17. *cap.* 13. Porro in eo differt hic titulus a *titulo de alienatione judicii mutandi.* Illo enim titulo agitur de re in potentiorem translata, in hoc autem agitur de lite tantum in aliquem translata. 4 *l.* 2. ℭ. *h. t.* 5 De ergolabis, & redemptoribus litium, vid. Cujac. 8. *obſerv.* 31. 6 Secundus ſcil. qui M. Aurelius Claudius: cujus & a Zonara recitatur alia conſtitutio. De petitionibus bonorum ſublatis. vid. Cujac. *d. l.* 7 Ad patrocinium potentioris litis cauſa confugiens cauſa cadit. *Synopſis* 7. *tit.* 9. *cap.* 1. & 2. *Harmen.* 10. §. 5. 8 Id eſt, procurationem, non advocationem. *arg. l.* 6. §. 1. *ſupr. de poſtul.* quia procuratores magis inſtant cauſæ, quam advocati. 9 *Marte ſuo diſcurrere*, aut *decurrere* lites dicuntur, cum via ſolenni, & uſitata expediuntur. 10 Qui in patrocinium potens litis cauſa alium ſuſcipit, κἂν συγκλητικός ἐστιν, etiamſi ſenator ſit, ἔξω τῶν διατεταγμένων τιμωρείσθω, extra ordinem punitur. *Synopſis & Harmen. ibid.* 11 Potentiores ſuſcipiunt alienas lites, accepta interdum pecunia, *ut hic:* interdum data. *l.* 15. ℭ. *tit. prox.* Prius ita fit, veluti ſi mercedem acceperis, ob litem alienam agendam quaſi tuam ſub pactione tertiæ, vel dimidiæ aut quotæ partis quod leges vetant. Idem dicendum, ſi mercedem acceperis ut bona aliena, aut agricolas defenderes. vid. Cujac. *d. loco.* 12 Ut hujus conſtitutionis ac legis diſceptatores, & ultores ſint provinciarum præſides. *Synopſis ibi.* Atque ita Præſes punit ſibi æqualem, id eſt, Clariſſimum dignitate, imparem tamen in adminiſtratione. 13 *l. unic. C. Th.* de actionibus ad potentes translatis *lib.* 2. 14 Cautiones *d. l. unic.* ut ſit ſenſus, Eum qui mutuum dat, vel alio modo contrahit, ſi ſuo nomine recuſaverit, ἀσφάλειαν, γραμματεῖον ἢ ἄλλο συμβόλαιον, cautionem, nomen aut aliud inſtrumentum accipere, & ea in potentem aliquem tranſtulerit, qui id fecerit, ἐκπίπτειν τοῦ τοιούτου χρέους, tali debito excidere, *Syn. ibid. c.* 2. Harm. *ibid.* §. 6. 15 An & quatenus poſſit in potentiorem fieri ceſſio, vide Jaſonem *ad l. ſi ita quis.* §. *ea lege. num.* 13. *ff. de verb. obligat.* Rot. Rom. *deciſ.* 177. Socin. *in Regul.* 48. Petr. Reb. *ad l. unic. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt. num.* 341. & 347. Tiraquel. *ad l. ſi unquam. in præfat. num.* 53. *infr. de revocand. donat.* Abb. *ad c.* 2. *extr. de feud. in ult. notab.* Mod. 16 Pœnam obſerva debitum in potentiorem transferentis. 17 Vorare debitorem velle is videtur, qui ſuas in eum actiones potentiori cedit, *l.* 22. ℭ. *mandat.*

18 Hujus tituli inſcriptio eſt inverſa. Sic enim conceptus eſt Titulus C. Theod. *De his, qui potentiorum nomina in litem prætendunt aut titulos prædiis affigunt.* Cæterum adde huic titulo *Novell.* 17. *c.* 15. & Caſſiodorum 5. *variarum* 18. 19 Solius eſt fiſci titulos alienis prædiis imponere. adde Caſſiodorum 5. *variar.* 6. Titulos ſive ſigna Græci σήμαντρα. *Edict. Tiber. cap.* 1. *autor Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 10. & *tit.* 11. appellat τίτλους & σφραγίδας. Huc illud Auguſtini referri poteſt ex *Pſalm.* 21. Ne domos ipſius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipſe vult eſſe poſſeſſor & frontem domus ſuæ de titulo alieno muniri, ut cum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis, abſtineat ſe ab invaſione. vide Cujac. *ad l.* 3. ℭ. *de bon. vac.* 20 Prætendere nomina in litem eſt ἐπιφημίζειν. 21 *l. unic. C. Theod. h. t. lib.* 2. 22 Puta ſenatorum. 23 Qui & δόγματα, characteres, *conſtit. Tib. de div. domib. in c.* 1. 24 Pertinet hæc lex ad reos, qui potentiorum nomine, aut titulo adjuncto actores terrent: & rem cujus nomine conveniuntur, ſimulant alterius potentioris eſſe. Horum pœna hæc eſt, ut affecti plumbo, perpetuis metallorum ſuppliciis deputentur. hac lege. *Synopſ. Baſil. d. l.* 25 *Nov.* 17. *c.* 15. *Nov.* 164. *cap.* 1. 26 Conivent *d. l.* 1. 27 Adfigantur *d. l.* 1. 28 Ἵνα μολίβδῳ πανταχόθεν περισφιγγόμενος τουτέστι κλοιοφόρων ἢ πλουμβατιζόμενος διηνεκῶς εἰς τὸ μέταλλον ἐκπέμπηται. *Synopſ. Baſil. d. l.* id eſt, ut undique plumbo conſtricti, hoc eſt, metallum geſtantes vel plumbati in metallum perpetuo dentur. 29 Ἀντιῤῥήτοις λιβέλλοις, contradictoriis poſſeſſionibus aut titulis. *d. l.* 1. contradictoris poſſeſſoris titulis, quidam etiam ita legunt. 30 Τῆς κτήσεως αὐτὸν καὶ τῆς διοικήσεως ἐκπίπτειν. *Synopſ.* poſſeſſione ipſa, & adminiſtratione ſeu actu ejus excidere. 31 Nota pœnam titulum alienum prætendentis. Hinc illud Auguſtini *in ſerm. l.* 9. In ipſis deprecationibus ſuis titulum Chriſti hæretici poſuerunt: ut prædæ ipſorum defenderentur per titulum potentis. Quid facit Chriſtus? ejicit prædatorem, titulum non deponit, ſed poſſidet domum, quia ibi invenit titulum ſuum. 32 Id eſt, quamvis in eam juſtas quasdam allegationes habeant. 33 Ἐργολάβους συκοφαντίας. *Synopſ.*

34 Vela regalia *Hal.* Ambroſius ea etiam appellat cortinas regias 3. *epiſt.* 33. Publici tituli ab Athalarico apud Caſſiodorum: tituli fiſci a Theodorico apud eundem Caſſiodorum: fiſcales tituli, *l.* 2. ℭ. *de aquæduct. lib.* 11. *tit.* 42. dicuntur, quæ duo poſtrema pertinere poſſunt ad *tit.* 18. ℭ. *h. t.* Gregorius ad Conſtantiam Auguſtam 4. *Epiſt.* queritur de Stephano quodam chartulario, quod nomine fiſci, loca ſingulorum invaderet, & titulos imponeret indicta cauſa. *Goth.* Quæ ſint vela Regia, vid. Rævard. *Var. lect. lib.* 5. *c.* 11. & 15. Anſ. 35 Huc refer illud Auguſtini, de quo ſuperius diximus. Hinc interea colligere poſſis, Urbem imperialem cenſeri, in cujus portis aut ædificiis publicis, inſignia imperatoris longiſſimo tempore ſuſpenſa fuerint, nemine ea evertente. 36 Jure meo refringere poſſum tabulas, quas alter vi aut clam fixerit ad mearum ædium januas. *l.* 1. ℭ. *tit. prox. l.* 22. §. 2. *ff. quod vi aut clam. Nov.* 28. *c.* 5. *Edict. Tiber. c.* 4. 37 Hoc igitur crimen capitale eſt, extremique ſupplicii. v. *Nov.* 164. *in fin.* 38 Adverſus eos, qui ejusmodi vela conciderint.

39 Vid. *Nov.* 60. *c.* 1. *in pr.* 40 Propria ſcil. *de regiis* dictum eſt *tit.* 16. *de potentiorum* titulis dictum eſt *tit.* 15. ℭ. *h. lib.* 41 Alii: imprimere, quas alius detinet: quod ex nigro, & antiquis exemplaribus probat Rævard. *Var. lect. lib.* 5. *cap.* 16. Anſ. 42 Forte ut ſibi debitam vel obligatam, *l.* 2. ℭ. *h. t.* 43 *l. ult. ſupr. tit. proxim.* 44 Jure forte pignoris, ℭ. *h. t.* adde *l.* 22. §. 2. *ff. quod vi aut clam.* 45 Niſi velit ſuis omnibus rebus quaſi publicatis titulos fiſcales apponi. *Novell.* 17. *cap.* 15. *Novell.* 28. *c.* 5. Imo, & extremum ſupplicium pati. *Novell.* 164. *in fin.* vide Cujac. *hic.*

46 Nec potens privatus *tit.* 14. 15. nec fiſcus, nec reſpublica patrocinium litis alienæ ſuſcipere debet, *ut hic. l.* 22. §. 2. *ff. de jure fiſci.* 47 *l.* 3. ℭ. *h. t.* 48 *d.* §. 2. 49 Donationem litis ſuſcipiendæ cauſa fiſcus non admittit. 50 *l. ult.* ℭ. *h. t. l.* 91. *ff. de hered. inſtit.* Paul. 5. *ſentent.* 12. §. 7. 8. adde *l.* 1. ℭ. *qui militare poſſ.*